



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio II. De causa subiectiua peccati originalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

cum delectatione parentum geniti sunt: quod idem docet sapientissime Tridentinum præsertim *sess. 6. cap. 3.* possuntque plura proferri ex Augustino qui omnino docet peccatum in nos traduci quia quando peccauit Adam omnes homines erant ille vnus homo vt ostendebam. *quest. 1.*

Si quando visus est Augustinus dicere quod concupiscentia traducit in nos peccatum nullo modo debet intelligi quod traducatur per illam vt causam physicam, vt somniat aduersarius. Imò neque per causam moralem, primum enim est prorsus impossibile, secundum repugnat fidei & rationi vt ostendebam.

Mens S. Augustini de traducendo explicatur. Significauit ergo tantum S. Doctor concupiscentiam esse signum à posteriori huius peccati, quia nomine (concupiscentiæ) intelligit generationem quæ secundum viam ordinariam adiunctam habet carnis libidinem, vult enim quod generatio facta secundum viam ordinariam conditio est sine qua nullum esset peccatum. Vt rectè vt rectè obseruat *Beccanus c. 9. q. 5.* Significauit tantum causam peccati originalis non fuisse tantum generationem, sed generationem ex natura corrupta cuius signum est libidinis ardor sæpe contrarius rationi, qualis non fuisset, si non peccasset Adam, sic enim soluuntur omnia quæ obicit aduersarius.

Ad primam enim Resp. verum esse quod concupiscentia peccati vinculum traiecit in posteros intelligendo nomine (concupiscentiæ) generationem ordinariam cuius comes & signum est ipsa concupiscentia: quando dicit quod occulta tabe concupiscentiæ suæ tabificauit in se omnes de sua stirpe nascentes, nomine (concupiscentiæ) significat appetitionem illam prauam Adami quæ & ipse peccauit, & posteros inquinauit peccato.

Ad secundam Resp. verè dixisse Augustinum corruptionem naturæ infectæ concupiscentia propagare in nos peccatum, sed nomine (corruptionis) intelligit peccatum Adæ per quod deprauata est etiam concupiscentia quæ signum est & effectus talis corruptionis.

Ad tertiam Resp. Augustinum quando dixit eum qui sine concupiscentia generaret, geniturum non esse peccatores, significare nomine (concupiscentiæ) vt dixi, generationem factam via ordinaria, propterea enim Christus etiam si Deus non esset, peccati esset expers, quia non est eo modo genitus. Alia omnia quæ Iprensis congerit inania sunt & eandem habent responsionem.

SECTIO II.

De causa subiectiua peccati Originalis.

S. Thom. *quæst. 83.*

Subiectum inhæssionis peccati originalis est tota anima. Quilibet homo via naturali genitus contrahit sine dubio peccatum istud, vt concluditur ex generalibus loquendi modis scripturarum: *In omnes enim homines mors pertransiit in quo omnes peccauerunt: & nemo mundus à sordibus neque infans vnius diei.* Proximum subiectum inhæssionis huius peccati est voluntas, subiectum denominationis est anima tota imò totus homo. Nugantur autem qui peccatum hoc existimant esse in semine vel in carne.

Tota ergo difficultas esse potest de Virgine Deipara de qua celeberrima est inter Theologos disputatio circa immunitatem illius tum à macula peccati, tum ab eius debito, quam vtramque magnæ Mariæ prærogatiuam in tractatu proprio de Deipara, sic opinor omnium probationum genere esse stabilitam, vt nihil habeam hoc loco quod addendum putem.

SECTIO III.

De pænis peccati Originalis.

Explicatis causis peccati originalis venio ad damnamur huius arboris fructus, in quibus explicandis

Tom. I.

duplicem mihi scopulum euitandum esse: alter est error Pelagij qui negabat vllum in nos transisse malum ex peccato Adæ, quod nocuerit illi soli: Alter est scopulus in quem impeguntur sædissimè Lutherus, Caluius, & nuperus dogmatista qui totam naturam vsque adeò volunt per hoc peccatum prostratam & sædatam esse, vt nihil illi sit reliquum, vel libertatis vel integritatis. Quos errores vt refellam distinctius video has pœnas diuidi posse in eas quæ causantur in hac, & eas quæ causantur in altera vita.

§. I.

Pœnæ peccati originalis pertinentes ad hanc vitam.

Sic appellantur ea mala, quæ propter primi parentis peccatum omnes eius posteri patiuntur, vnde magis videntur esse pœnæ peccati Adæ quàm nostri originalis peccati, sunt autem partim negatiuæ, quia priuant aliquo bono quod in statu innocentie habituri eramus, partim positiuæ quia sunt aliquod malum quo eramus carituri in eo statu. Vtrique pertinent vel ad corpus vel ad animam.

Certum igitur primò est, mortem corporis & cæteras omnes infirmitates ac dolores qui corpus corruptibile affligunt esse veros effectus & pœnas peccati Adæ. Ita enim contra Pelagium & eius assecclas definitum habetur in Concilio Palæstino primum, deinde in Mileuitano, Carthaginensi, Arausiano, Tridentino: primus videlicet Hæretici huius numeratur error quod Adam factus à Deo mortalis, siue peccasset, siue non peccasset morti semper obnoxius esset futurus: Deinde quartus quod per mortem, vel prauaricationem Adæ non omne hominum genus moriatur. In contrarium autem statuunt prædicta Concilia quod si perstitisset homo in veritate, posteri eius omnes immortales erant futuri, & ab omni corporum afflictione liberi. Vnde cuncte illa oriri posset siue ab intrinseco siue ab extrinseco: non quod hoc ex ipsa natura oriretur vt voluit Michaël Baius, sed ex solo gratiæ priuilegio. Sic omnino colligitur ex Scripturis Sap. 2. *Fecit Deus hominem inextinguibilem, ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, vel vt habetur in Græcis emendatoribus & legit etiam Athanasius lib. contra Gentes Fecit Deus hominem ad immortalitatem, ad imaginem sempiternitatis suæ fecit illum, nam pro idem legitur à idem: Geneleos 2. In quacunque die comederis ex eo morte morieris: stipendia peccati mors; per vniam hominem mors intravit in mundum, &c. plura ex quibus Theologi agentes de opere sex dierum statuunt certissimum hoc esse dogma Fidei.*

Obicit Scorius moriturum fuisse puerum quem parentes sine villo cibo & potu reliquissent, quod mors naturalis erat, & homo liber ad se occidendum vel ad abstinendum ab omni cibo. Respondetur enim hæc omnia in statu illo beatissimo innocentie non fuisse, possibilia, Deo impediante omniāque auertente mala prouenientia vel ab intrinsecis causis, vel à foris ingruentia.

Certum est secundò plures etiam & multo grauiores pœnas per hoc peccatum causatas esse in anima hominum omnium, reuocari commodè possunt ad priuationem originalis illius iustitiæ quæ reddebatur homo subiectus Deo & rationi, Deinde ad quatuor illa vulnera quæ sequuta sunt subtractionem illam iustitiæ. Primum vulnus in intellectu ignorantia est tum negatiua, quia multa nunc imò innumera ignoramus quæ in statu innocentie ignoraturus nemo erat, tum positiva quia in multis decipimur in quibus clarè perspecturi eramus veritatem, & de rebus vt sunt rectè iudicaturi, quia scilicet ex gratia illa emicuisset in intellectu radius omnem expellens caliginem & errores

Errores Pelagij, Lutheri, & Caluini

Cuius generis sunt pœnæ peccati originalis in hac vita.

Mors & cæteræ infirmitates sunt pœnæ peccati contra Pelagium.

Respondetur Scori objectioni.

Quatuor vulnera illata anime per peccatum originale: